



1671 16 74  
M  
140

QVOD DEUS VERTAT BENE!

DISPUTATIO JURIDICA

DE

JURE MERCATURÆ

ex Princip. L. IV. C. de Commenc. & Mercator.

Quam

SPIRITUS SANCTI GRATIA ADSISTENTE

Et

MAGNIFICO ET NOBILISSIMO JCTORUM

ORDINE IN CELEBERRIMA ACADEMIA

WITTEBERGENSI CONCEDENTE

PRÆSIDE

VIRO MAGNIFICO NOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO  
AMPLISSIMO ATQVE CONSULTISSIMO

DN. JOACHIMO NERGERO,

J. U. D. ET P. PAND. P. CURIÆ ELECTORALIS,

SCABINATUS, FACULTATIS JURIDICÆ UT ET JUDI-

CII PROVINCIALIS, QVOD EST IN INFERIORI LUSATIA

ASSESSORE GRAVISSIMO, NEC NON H. T.

DECANO SPECTABILI

DN. PATRONO, PROMOTORE ET PRÆCEPTORE

SUO, OMNI OBSERVANTIÆ CULTU ETATEM

PROSEQVENDO.

Publicè ventilationi subjecit

CASPAR ARNOLD Grumbrecht/Hildesienf.

AUTOR ET RESPONDENS

IN ACROTERIO JCTORUM

AD DIEM JUNII.

WITTEBERGÆ, Literis MICHAELI METERI, 1671.



V I R O  
HONORATISSIMO, SPECTATISSIMOQVE,  
D O M I N O


Georgio Schmidt,  
Civi & Mercatori in Incluta Urbe quæ  
Lüneburgensium est facile Primario,  
Hospiti quondam meo summe colendo,  
Patrono atqve Promotori maxime  
Suspiciendo.

*Has studiorum meorum Academicorum primitias  
in signum humillime subjectionis*

Dedicat consecrat

CASPAR ARNOLD Grumbrecht/  
Author & Respondens.





## Anteloqvium.

**D**Um haftenus in Scholis ver-  
satus sum Institutionum Juris Impe-  
rialium, & Disputationum Schnobe-  
lianarum, ubi Pandectæ Jurispruden-  
tiæ Romanæ in egregium compen-  
dium ita redactæ sunt, ut inibi non tantum Digesto-  
rum, sed & cæterarum illius Prudentiæ partium ner-  
vum primo quasi ictu cernere liceat, & quod non  
minimam fert laudem, quædam Codicis Leges, ut  
ut admirabili ferè brevitate, attamen & felici per-  
spicuitate explicatæ sint: res eò me adduxit, ut  
quotidiè mihi magis magisque placeat DN. JO-  
ACHIMUS SCHNOBELIUS, JCrus, quan-  
tum mihi pro captu ac paucitate ingenii mei nunc  
judicare datum est, vel Veteribus illis Prudentibus,  
Qui jura Romana, Divinitus in Europâ ejusqve parte  
Germaniâ, ad summam utilitatem Principum ac  
subditorum conservata, condiderunt olim, omninò  
comparandus: cumqve diligenti recitatione & eno-  
datione EXCELLENTISSIMI DN. D. JO-  
ACHIMI NERGERI, P. P. super illo Schno-  
beliano

A

beliano



beliano Thefauro usus fui, animum induxi me-  
um, tentandi quædam, iisdemque prodeundi in pu-  
blicum; factum hinc, ut labori meo intra privatos  
parietes *principium L IV. C. de commerciis & Mercato-  
ribus*: deputarem: & quidem consultò & datâ ope-  
râ, cum perbene sciam, quod ab Eo, cui parem gra-  
tiam nunquam referre poterò, mihi olim victu &  
amictu prospectum fuerit, Qui in Germaniâ excel-  
lenter calluit, calletque mercimonia, Quemque Pie-  
tas, aliæque Virtutes, imprimis verò Liberalitas er-  
ga egenos, commendant maximè: Dum itaque ratio  
studiorum meorum Academicorum iis, quorum in-  
terest, reddenda sit, apta visa fuit materies, quæ de  
commerciis tractat, ut sciant illi, mihi & in Acade-  
miis curæ cordique esse, indagandi Mercatorum  
Jura ac Privilegia, ac, fortean, si DEUS siverit, illa  
ipsa suo tempore, pro virili tuendi. Nunc rem mi-  
hi propositam aggredior, sensum dicti Principii Le-  
gis quibusdam Paragraphis eruendo, & quædam, ut,  
puto à scopo non aliena superaddendo consuetaria, si  
prius devotis precibus in partes meas Benignissi-  
mum DEUM vocavero: Veni igitur MI DEUS,  
& duc me in omnem juris veritatem, in TUINO-  
MINIS Gloriam, & quæque vale Reipublicæ com-  
modum.

PARA-



## PARAGRAPHUS I.

Antequam opus tractem ipsum,  
Textum, prout hic substernendus est, ad-  
scribere lubet: Qui ita sese habet:

*Mercatores tam Imperio Nostro, quam  
Persarum Regi subiectos, ultra ea lo-  
ca, in quibus fœderis tempore, cum  
memoratâ Natione, Nobis con-  
venit, mundinas exercere minimè  
oportet: ne alieni Regni (quod non  
convenit) scrutentur arcana.*

Sed statim insigni exterreo dubio, quasi ipsa Merca-  
tura res per se non honesta Christiano homini exercenda  
non sit: etenim illâ Mercatores non nisi suum commo-  
dum per fas nefasque quærere videntur: Quo ipso contra  
simplicitatem Juris Naturalis peccari apparet; tralatitia  
enim Quorundam Doctorum traditio est, quod Jure Na-  
turali omnia sint communia: audi Covarruviam Part. II. Re-  
lect. in c. peccatum. de Reg. Jur. in 6. §. 1. num. 3. fol. 466. Naturâ  
ipsâ, scribentem, institutum est, ut res inferiores sint ordinatæ & de-  
stinatæ ad hominum necessitatem, quamobrem divisio rerum, quæ  
post institutionem Juris Naturalis facta est, non derogat rationi  
naturali, quæ dicitur, ex rebus temporalibus subveniendum esse ho-  
minum necessitati extremæ; Hæc Covarr. citantque quidam  
sibi ex jure Nostro l. 2. §. 2. vers. fin. D. ad L. Rhod. de jactu. imo  
L. 3. C. de Commerciis; mercantes denigrare videri poterat,  
A 2 dum



du m mercandi studium Urbibus perniciosum putat, & non  
nisi plebejis permittit: Dictum Siradicis duriusculum est  
CAP. XXVII. *Sicut in medio compingis lapidum palus figitur, sic  
& inter medium venditionis & emptionis angustiabitur peccatis:*  
experientia sanè loquitur, quod ad res suas locupletandas,  
fraudibus, mendaciis ac perjuriis sæpè utantur quidam, qui  
merces divendunt; Hinc Patrum Quidam Ecclesiæ impro-  
barunt mercaturam, & à CHRISTI DOCTRINA alienam  
putarunt; Exscribam ex *Desiderii Heraldi Animadversionib. in  
Salmasii Observat. ad jus Atticum & Romanum lib. 2. cap. 2. n. 10.  
fol. 90. Tertulliani locum Lib. de idololatriâ ab Heraldo emenda-  
tum. De negotiationibus, sicetera delictorum recogitemus, im-  
primis cupiditatem, radicem omnium malorum, qua quidam irreti-  
ti, circa fidem naufragium sunt passi, cum his & idololatria ab eo-  
dem Apostolo dicta sit cupiditas, tum mendacium cupiditatis mini-  
strum (taceo de perjurio. quando nec jurare quidem liceat) negotia-  
tio DEI servò apta est? Sed terriclametum hoc vanum  
est: Didici enim ex Jure Romano, quod Contractus juris  
Naturæ sint §. 2. *Instit. de J. N. G. & C.* Quod jus, cum & quoad  
sui principia ac inde necessario fluentes conclusiones Divinâ  
Providentiâ constitutum sit §. 11. *Instit. d. t.* mercaturam, ut  
rem per se honestam non nisi approbare potest: Ille verò  
Covarruvias fallit, falliturque: nunquam enim conceden-  
dum est, Jure Naturali omnia fuisse communia: DEUS  
enim Adamo unâ cum omni humanâ posteritate dixit:  
Dominamini; ac Cainus cum fratre Abele de suis fructi-  
bus holocausta DEO obtulerunt: Sive, uti memini, me ab  
*Excell. Dn. Præsidi ad §. XI. Instit. de Acq. Rer. Dom.* informa-  
tum fuisse: Dominium ante bonorum distinctionem fuit  
facultas non injusta re communi utendi: post divisionem  
rerum verò ita proprium fuit alicujus, ut alterius non esset:  
vel, uti *Grotius de J. B. & P. l. 2. c. 2. num. 2.* scribit: talis usus  
universalis juris erat tum vice proprietatis: porrò perpe-  
ram *d. l. 2. §. 2. D. ad L. Rhod. de jactu*, allata fuit, cum de hoc  
tantum disponat casu, ut cibaria, quando ea defecerint in  
navi-*



navigationem, quot quisque haberet, in commune conferret, recepto pretio, non verò ut illa essent communia. Nec d. l. 3. C. indecorum putatur commercium, sed ideò tantum Nobilioribus interdictum, quia hoc, ut scribit *Perez. ibid. n. 2.* difficile esset plebi cum illis: Et quomodo quæso in S. S. Bibliis improbata foret mercatura, cum hac usi fuerint Salomo & Hiram Reges II. *Chron. IX.* ipsemet CHRISTUS Regnum Cœlestes cum mercatore comparaverit: *Matth. XIII.* Quoad locum illum Siracidis distingvo cum *M. Dunte in Casib. Consc. Vom Göttlichen Gesetze. Quest. 70. fol. 362.* dum infit: Es ist aber wol zu unterscheiden negotiationis vitium & negotiandi officium, der Kauffmann kan wol ein Schalk sein / der Handel aber an ihm selber bleibet in seinem Wehrt: hocque sensu Tertulliani locus accipi poterit; ostendit enim d. l. *Heraldus num. XI.* quod mercatura ad vitæ usum tam sit necessaria, ut non solum non inhonesta ubique fuerit, sed & Privilegiis aucta. Dum itaque per hanc ire potui difficultatem, cardini rei nunc committam me lætis animis:

§. II.

### Penſitat unum atque alterum Textus verbum.

Cum non semel à fidelissimis audiverim Præceptoribus, dimidium facti habere, qui verba rei tractandæ rectè callet; non possum non & hîc facere, quin verborum aliquot curam enixam habeam. Primum se offert vox Mercatorum: Mercatorem cum *Johanne Marquardo Tr. de jure Mercat. & Commerc. l. 1. c. 7. num. 8. fol. 57.* describo; quod sit, qui negotiationum exercendarum, quæstusque liciti faciendi causa frequenter merces permutat & emit, ut easdem non minutatim nec mutatâ per se formâ distrahat; ubi in

A 3

Scho-





Scholiis satis quidem bene capita singula definitionis explicuit: sed desiderari tamen poterat, quod nullum genus expresserit: sed prudenti hoc ex §. 11. facile erit addere, nempe quod Mercator Sit Negotiator, cum hic illo sit latior. *arg. l. 1. ff. de Tribut. action.* hoc verò male me habet, quod ad formale & hoc requirit, quod merces non minutatim sint distrahendæ, quod latius persequitur à num. 41. e quidem fateor, quod propolæ & rivenditores alii sint à mercatoribus, præsertim in illis Civitatibus, ubi famosissima emporia sunt: sed si nostrum textum inspicio, qui mercatoribus ad nundinas proficisci concedit, utiqve & illi mercatores pro substratâ materiâ erunt, qui minutatim res divendant; hoc enim fieri assolere in Nundinis Lipsiacis neminem lateat. *Imprium* sequitur. Hæc vox plura quæ significet dubium nullum est: si diceres, esse *summam & legitimam Reipublicæ potestatem in personas ac res sibi subjectas*: *Paurmeister l. 1. de Jurisdic. c. 3. num. 1.* eadem descriptio in Regem Persarum quadraret, ac in Quemlibet, qui à nulla humanâ Majestate dependeret. Si nominares Imperatoris Romano Germanici summum Imperium, quod in omnibus Territoriis Statuum Germaniæ fundatur, contra Historiam peccares: tempore enim Honorii & Theodosii, quorum est *d. l. IV. C.* ignorata omnimodo illa, quam dicimus Territorialem Superioritatem, cujus initii memoriam non extare asserunt communiter: ac forte an illæ Majoratus Dignitates e.g. in Hispaniis, respondebunt nostris Feudis Regalibus, illius tamen Regis Hispaniarum, ubi Sol non occidit, Regnum alienissimum est à Nostro Imperio. Restat igitur dicere Imperium hoc singularissimum esse, & sensu juxta Vaticinium Danielis accipiendum, quod usqve ad consummationem mundi durabit, & quod alia Regna licet independentia comiter observant. Vid. *Excell. Dn. Præses Diss. I c. 1. §. 1. de Jurib. Majest.* Quis est Persarum Rex? non certè ille, cui juxta Danielicam Prophetiam secunda Divinitus concessa fuit Monarchia Orbis Terrarum, cum Alexander Imperium illud destru-



destruxisset, cum à suis Darius ultimus Persarum Imperator Anno mundi 3620. sagittis confossus esset, cujusque indignam mortem ipse Alexander M. lacrimis prosecutus fuerat, jussitque, ut corpus Regium impensis regis in Majorum tumulis deponeretur; si fides habenda M. Kippingio in *Recensu Historiæ Univers. lib. 11. c. 1. S. fin. fol. 35.* Vide *Dantelem Ortonem de jure Publ. in Prolegom. c. 1. Rubr. Alterum est Persicum fol. 13.* Fuit ergo ille à nemine dependens Rex tempore Honorii & Theodosii Imperatorum, cujus Majores, in sese tumultuante Romano Imperio, libertatem sibi vindicarent: quod adhuc hodiè in suis locis floret, cujusque arma Turcicus Imperator metuit quandoque. *Quid sit fœdus* vix hic tractandum, cum de eo ex Politicis satis constet: monendum verò, quod fœdera nullam inducant vel Superioritatem, vel subjectionem: exempla enim novissima adsunt Regum Hispaniarum, Britanniarum, Svediarum & Reip. Batavæ arctissimo fœdere, **Triple Allians;** junctorum: Quorum tamen singulorum Imperiis absolutis nihil damni accessit: *Sinold. Schütz de jure Publ. Disp. X. Tb. 6. lit. B.* Convenire hîc primo loco est, convenire fœdere: sicut *Livius* dicit: Convenire pacto: *Nundinas* porrò intelligo, quæ à solo Imperatore in aliqua Civitate mercimonii causa constituuntur. *l. 1. D. & l. un. C. de Nund. & sentio cum Dno. Hahnio ad Wesenb. n. de Nundinis num. 1.* quod, ut dixi, *Nundina* solius Imperatoris sint opus: ad cujus imitationem Status Imperii Mercatus semestres vel alias statos ordinant, ceterum hebdomadarii citra Principis licentiâ haberi possunt, cum sint Juris Gentium. Dum sequitur, *non convenit*: patet, quod *Id* convenit impersonaliter ponatur: est verò non convenit, idem, ac non decet: Tandem vox *Arcanorum* est eruenda. Video *JCros* cum Politicis convenire, quod sint abstrusæ rationes & consilia Eorum, qui in Republicâ rerum potiuntur, tum illorum tranquillitatis, tum etiam Reip. Status presentis conservandi, bonique publici causâ excogitata. Vid. *Arnold. Clapmar. de Arcan. Rerum Publ. lib. 1. c. V. fol. 9.*



sum quo ipſus Scholiaſtes Joh. Chriſtfrid. Sagittarius SS. Theol. D.  
& Superintend. Gen. fol. 15. conſpirat. Hieron. Prætor. in Theatro  
Politico Sect. 111. c. 1. memb. 11. fol. 193.

§. I I I.

Vi Domini ſu-  
per Eminentis  
Imperatores  
Romani de  
Mercatura,  
& iis, quæ eò  
ſpectant, Di-  
ſpoſuere.

liq; Imperato-  
res terrâ ma-  
riq; Domini ob  
urgentes cau-  
ſas Privilegiis  
mercaturam  
adauxerunt.

Nunc vela tractationis de Rebus pandenda ſunt. Re-  
tè, puto, docent, quod inter ea jura, ex quibus coadunatur.  
Majeſtas, non inſimum obtrineat locum *DOMINIUM SU-  
PEREMINENS*, quod eſt ſumma in Republ. poteſtas diſponendi  
de rebus privatorum. Vid. M. Hornius in Polit. cap. 4. §. 5. fol. 284.  
Ad quod fundandam video à quibusdam adferri ex S. S. Bi-  
bliis cap. V. Danielu: ubi coram Baſalare Rege hæc divinis-  
ſima fundit verba Propheta: O Rex, *DEUS* Altiffimus Re-  
gnum & Magnificentiam, gloriam & honorem dedit Nabuchodo-  
ſor Patri tuo: & propter Magnificentiam, quam dederat ei, uni-  
verſi populi, tribus & lingvæ tremebant, & metuebant eum: quos  
volebat, interficiebat: & quos volebat, percutiebat, & quos volebat,  
exaltabat: & quos volebat, humiliabat: adde Genef. XLVII. v. 15.  
ſeqq. Hoc jure excellenter uſos fuiſſe Principes Romanos,  
in caſu Neceſſitatis ac Utilitatis publicæ, infinita ſermè loca  
ex Jure Romano produci poterant; ſufficiat inſtar omni-  
um §. 2. Inſt. de his qui ſui l. alien jur. & illud vulgatum: nemo por-  
eſt in ſuo Teſtamento cavere, ne Leges ibi locum habeant: ac in hoc  
princip. d. l. 4. C. ubi Chriſtianiſſimi Imperatores, Vi juris ſui  
in bona Civium, de commerciis in Nundinis exercendis cla-  
rè caverunt; licet enim dici poterat, quod quaſi in meſſem  
alienam falcem intulerint ſuam, cum commercia juris ſint  
Gentium, à quo nemo arcendus §. 2. Inſt. de J. N. G. C. id ta-  
men oppidò falſum eſt, cum circa determinationem Juris  
Gentium Principi amplum ſit jus faſq; l. 6. ff. de J. & J. Hujus  
Legis promulgatores nō tantum terrâ ſed & mari dominos  
fuiſſe & ex Hiſtoria Juris & aliundè affatim conſtat: præ-  
primis hic citabo quædam ex Hiſtoria Navali media Thomæ Ri-  
vii, Regis Britanniæ olim Advocati lib. 2. cap. 24. fol. 126. Sed,  
ſcriben-



scribentis, Heraclianus, ab Honorio, ut dixi, in Africam ad iudices  
ab Artalo institutos deturbandos missus, cum Athaulphi consilia non  
ignoraret, in mare cum classe apparatusissima descendit: ei Athaul-  
phus, qui Boeticam, pulsus inde Vandalis, tum tenuit, cum pari na-  
vigiorum numero occurrit: fit praelium, in quo, pulsus Athaulphia-  
nis, Heraclianus insignem victoriam navalem reportavit: hæc ille.

Hi rerum Domini (cum scirent optimè, per merca-  
turas augeri Principum Fiscos, & florentissimas reddi Res-  
publicas, easque locupletandis familiis prodesse plurimum;  
constat enim abundè, quòd mercatores quasi lac uberiorum  
terrarum sugant: Deuter. XXXIII. 29. & absconditos the-  
sauros in suas ingerant domus; imò compertum est, inte-  
gròs exercitus, cum extrema inopiâ & annonæ caritate la-  
borarent, à Collegiis Mercatorum invectione necessariorum  
alios fuisse) illas Mercatorum officinas egregiis adornarunt  
privilegiis, & modis quibuscunq; adjuverunt, potissimè, ut  
tuti per maria ac flumina transire possent: Quibus & opus  
erat, ob tot & tanta pericula navigantibus illis exantlanda.  
U. Loccenius de jure Maritimo l. 2. c. 2. §. 6. fol. 124. Marquard. d. l.  
l. 1. c. 2. & 3. cum & in vulgus sit notum, quantis Vecti-  
galibus Principum juxtaque Rerum publicarum Fiscis &  
Æraria ex Mercantium opibus locupletentur. Vid. Strymann.  
de jure Maritim. part. V. c. 3. fol. 343. Scripsi equidem, quod Ro-  
manorum Imperatores terras mariaque imperio suo tenuerint  
coercuerintque, sed absit, ut Eisdem Orbis terrarum un-  
quam effectos fuisse Dominos, statuam: hoc enim si defen-  
dere anniterer, in Os Imperator: Honorii & Theodosii ob-  
loquerer, qui exerte fatentur, quod Rex Persarum nemi-  
nem in hoc mundo recognoscat superiorem, dum fœdera-  
tum esse sibi dicunt: Quorsum quoque spectat l. 7. pr. ff. de  
Capt. & postlim. revers. ubi verba illa Fœderati & liberi juxta ve-  
terum Jurorum stilum, pondus habent, qui enim illi essent  
populi, nisi ut hodiè Politicorum Scholæ loquuntur, MA-  
JESTATICI. Verum quidem est, cum Historiæ Impera-  
toribus uni atque alteri coævæ testes sint locupletes, quod ad

Principes Ro-  
mani totius  
orbis terra-  
rum Imperio  
nunquam po-  
titi fuerunt.

B

sum.





summam vim & perfectionem Romanum Imperium per-  
venerit: penetret modò quis sese in Vicarios illius Imperii,  
inde invidendam amplitudinem aestimare habebit: legere  
enim est in jure nostro de Vicariis plurimis, ut cum Reges  
regnarent, Inter Rex, qui, defuncto Rege, Imperium cum  
Regia potestate administrabat *Dionysius lib. 2. ac Urbi præfe-  
ctus, cui Regibus bellorum causâ absentibus cura rerum  
commissa erat: Tacit. Lib. VI. Annal. cap. 11. creati erant: De-  
inde sub Regiminibus Consulibus ac Populi, impeditis Ma-  
gistratibus itidem eligi solebant Interreges Cic. 7. Famil. ad  
Trebat. Præfectus Urbi l. 2. §. 33. D. de O. J. Dionys. l. 7. in cu-  
jus postea locum successit Prætor Urbanus d. l. 2. §. 27. item-  
quæ cum Consules Latinarum Feriarum causa abessent, ad  
illud absentia tempus Præfectus Urbi, ut in hac jus redde-  
ret, creatus fuit. d. l. 2. §. 33. Aul. Gell. Noct. Attic. l. 14. c. ult. Nunc  
si Monarchiam, sive à Julio Cæsare, sive ab Augusto intro-  
ductam (scio enim quod de hac re peritissimi Historici in-  
ter se contendant) percurramus: Præfectus Urbi re-  
stitutus fuit. *Sveton. in Augusto cap. 39. Eberling. de O. J. cap. 31.*  
eratque ordinarius Magistratus *T. T. D. de Offic. Præf. Urbi: Por-  
ro Præfectus Prætorio, ex cujus consilio bellicas actiones  
Princeps peragebat: Dn. D. Struv. ad d. T. institutus fuit, cu-  
jus potestatem maximam dicit Imper. Justinianus l. 1. §. 1. C.  
de Offic. Præf. Prætor. Afric. itemque ille Titulis Magnitu-  
dinis, Sublimitatis, Magnificentia & Celsitudinis ornabatur.  
l. 3. C. de Offic. Præf. Prætor. Orientis l. 2. C. de Offic. eorum qui vic-  
alicujus. Nec non in Oriente erant Præsides, Asiæ, Pon-  
tica, Thraciæ *Novell. 26. Macedonia, Dacia. Novell. 131. cap. 30.*  
*Dioeceseon. Sic in Occidentali Imperio erant Vicarii Ur-  
bis Romæ l. 2. C. Theodos. de incest. nupt. Italia. l. 3. C. de Agric.  
& Cens. Illyrici. Africa l. 1. C. de Offic. Comit. rer. privat. ex  
cujus Vicariatu Justinianus Præfecturam Prætorianam fe-  
cit tot. Tit. C. de Offic. Præf. Africa: Vicarii Hispaniarum l. 2.  
C. ubi Senatores l. fin. C. Quorum bonor. Galliarum, Panciroll. in  
Notitia Imperii Occident. c. 68. Britannia. Ex quibus vicariis  
admi-***



Administrationibus abundè constare potest, quanta Provincia Imperio Romano parnerint. Videtis Reinking. de Regim. Secul. & Eccles. l. 1. Cl. 2. c. 9. per integrum. De venetis an unquam Romanæ Aquilæ subjecti fuerint, lis nondum perorata est: sunt enim, quos citat Reinking. d. l. num. 70. qui hoc inficiantur: quorum tamen opinioni ipse non subscribit: dum à n. 73. adversariorum rationes confutat; & n. 81. Veneros ab Imp. Sigismundo rebelles appellatos esse ait. Certè Cæsar Maximilianus Eisdem latrones mundi, & atrocissimorum criminum reos insinuat apud Goldast. In Reichshandlungen P. 2. Rubr. Des Kensors und Pabstes Absagung wieder die Benediger / ubi fol. 71. in f. A. hæc leguntur: Wir werden die Edelen und Vornehmsten zu Venedig / welche sich der Glückhafften und grossen Dinge überheben / und den Hals über die Billigkeit mehr auffgerecht haben / wiederumb in die Zahl der Fischer wenden / und werden sie zwingen (so sie ihr Thun vollbracht haben) die Nahrung auff dem Fischer Schiffein zu suchen / welche sie jekund als mit einer Königlichen überflüssigkeit mit Naven oder Schiffen von den eussersten Orten der Welt zu führen / sondern geht hin und führt den Krieg / mit denselben Unmächtigkeit und Behmütigkeit / als er verkündigt. Quidam, inquam, horum sit, nunquam tamen exinde efficies, quod Roman. Imper. omnes Orbis partes terrarum habitabiles suâ ditione complexus fuerit: Princip. l. 4. C. de Commerc. probat clarè, Perficum Regem Romam non adorasse: ac plurimi anni lapsi fuere, antequam cum Germanis transgressentur Romani, ut illi liberam haberent Rempublicam, & ab Imperio Romano distinctam: siquidem Imp. Romani jam electi Titu-

B 2



lum Regis Francorum à Cæsareo, seriâ cura, distinxerunt.  
Vid. Crantzius l. 1. *Metrop. cap. 51.* demum in Ottone Magno  
Cæsareum Axioma Germanis communicatum fuit: *Fiebig:  
in Elect. jur. Publ. Semid. VI. qv. 2. à num. 52. fol. 92.* Gentem  
profectò pugnacissimam infinitis arma Romanorum ex-  
ercuisse, ex Cæsare, Livio, Vellejo Paterculo, Sveronio, Ta-  
cito probant illi, ad quos hæc spectat Professio. v. Christoph.  
Heidman. Europa seu Manuctio: ad Geograph. Veter.  
cap. 5. §. 91. fol. 126. Et licet publica prostant scripta, in  
quibus Autores multo conamine ostendant, Novum Orbem  
etiam Veteribus Rerum Dominis cognitum fuisse, divi-  
nantqve, Salomoni Regi inde egregios adductos fuisse  
thesauros, appellantqve Insulam Ophir; hoc tamen aliis ad-  
palarum non est, sed novum inventum esse volunt Gasco-  
nis Gamma Portugallensis. *Cluverius in introduct. Geo-  
graph. l. 5. c. 8.* & CHRISTOPHORI COLUMBI,  
qui primus Herculis columnas prætervectus tam diu in oc-  
cidente navigavit, donec orbem circumvectus in aroma-  
rum feraces Insulas perveniret. *V. Novæ Orbis Novi Historia  
Urbanæ Calvetonis ex Hieronymi Benzoni Mediolanensis, qui eas  
terras XIV. annorum peregrinatione obiit Italicis commentariis de-  
scriptæ l. 1. c. V. fol. 21.* Qui Orbis noviter detectus cum Re-  
gi Hispaniarum maximam partem pareat, Romanarum  
Provinciarum numerum adaugere non potuit. Nec Po-  
tentissimum illud Chinaram Regnum Romanis obsecun-  
dasse, à Rerum peritis audivi, quod tamen ille Tamerlanes  
Parthorum & Tartarorum Cæsar, per omnia Magna nisi  
gentilium Religioni addictus fuisset, Anno CHRISTI 1355.  
suo adjecit Imperio: *V. Denckwürdige Geschichte des  
grossen Tamerlanis der Parthen und Tartern  
Reisers in fin. Part. IV. & V.* Dicitur v. Imperator Mundi  
Dominus l. 9. ff. ad L. Rhod. de jactu: quâ famosas Orbis par-  
tes.



Asferit, licita esse foedera, etiam  
cum infidelibus.

*NB* Persas, de quibus d. princ. l. 4. C. idololatrias fuisse, rerum monumenta attestantur, ex quibus *Pontan. Progymn. Latin. Secunda Tertii fol. 984. refert*, quod solem, Lunam Tellurem, ignem, Aquam, Ventos inter numina coluerint: & Chosroës Persarum Rex, cum quo Heraclius Romanorum Caesar pacem pangere paratus erat, superbe respondit Legatis, se pacem non amplexurum, nisi Heraclius cum omnibus suis subditis abnegato Deo, & in crucem CHRISTO suo acto solem adoraret. v. *Christoph. Colerus in Quarta Monarch. Sect. III. Casare XXII. Ubi quaestionis non proletariae est, an cum infidelibus ac alienis à Christiana Religione foedera inire liceat?* Qui hoc thema exemplis Regum Christianorum, quibus cum infidelibus foederationes fuerunt, comprobant, rem acu non tangunt, cum non exemplis sed rationibus sit pugnandum. In antecessum adduco Doctorum Theologorum & Juristarum approbatam distinctionem, quod foedera illa, ut Christiani ac infideles sese ultro citroque adjuvent contra communem hostem, improbata sint: ac ea inter quae, ut ne invicem laedamur, sed tuti sint fines, commerciaque & alia, quibus carere nequimus, intra & extra muros utriusque importari ac exportari possint, quae nullus aequus arbiter carpere: cum haec & ipse *Albericus Gentilis de jure Belli*, qui alias circa haec publica pacta non singula universa animo sedulo rimatus putatur l. III. c. 19. fol. 658. concedat omnibus lubentis suis, ita scribens: *Dico licitum foedus universale commerciorum.* jam prius membrum firmant Textus juris divini *Exod. XXIII. Deut. VII. Josue XXIII.* Quod foedus cum infidelibus Deus in sua Reipubl. interdixit judaeis: cum damna Reipublicae accersant *Esaie VIII. Jerem. XXXVII.* & hoc est, quod Apostoli veridicum



ridicula os dicit, cum infidelibus jugum non esse trahendum 1. Corinth. VI. vid. Reinking. de Regim. l. II. Clas. III. c. III. à n. 64. ne dicam, quam periculosi hinc saepe fuerint exitus, non tantum quod e. g. Turci Christiano Principi suppetias ferentes aliquot millia Christianorum captivitati perpetuæ addixerint, sed & bellum ope Turcorum susceptum non tantum inauspicatissimum fuerit, ac illi quorum auspiciis res gesta, demum de salute sua, cum tot animarum pericula causati fuerint, desperarint certo. cui priori membro exerte suffragatur *Gentili d. l. fol. 699. in fin.* Alterum v. membrum vix dubio caret, cum juxta Apostoli monitum amicitias comparandis salubre, cum omnibus hominibus pax colenda: ac inculptum Naturæ humanæ firmissimè sit; inter omnes homines cognationem quandam esse l. 3. ff. de J. & F. l. servus D. de serv. export. Annectere hic lubet. An fœdus Francico I. Galliarum Regi cum Turcis junctum licitum sit? quod inficior, cum Alberico Gentili d. l. f. 660. ita scribente: sic fœdus non probo Regum Gallia cum Turcis: per quod aliquando tot hominum millia puerorum, fœminarum, capta, abducta in perpetuam & intolerandam servitutem. & *Limmaus Annotament. ad proœm. Capit. Caroli V. n. 84. fol. 36.* ita judicat. Si fœdus cum Turca non iniviser, suis nunquam esset factus abominabilis, nec aliis tam odiosus: & quæ scitu necessaria sequuntur: Utrique ipse Imperator una cum Imperii Proceribus ex illo fœderis nefandi capite communem Christianorum hostem Gallicanum Regem haberunt. vid. *X. U. zu Speyer anno 1544. S. so achten wir.* Equidem *Monluccius Limnao d. l. n. 89. citatus*: perversus consiliarius sibi defendit contra hostem omnia armalicia esse, addendo; me quod attinet, si possem omnes diabolos ex inferno evocare, in necem hostis mei, qui vitæ meæ insidiatur, libenter id facerem: nec obscurum esse potest, quod *M. Kipping in Instit. Politic. l. 2. c. XI. fol. 112.* Pacto Francisci Regis calculum suum adjiciat, cum *S. VIII. Bartholomæi Gramondi lib. 3. Histor. Gallicæ & Wilhelmi Gvauii Libello de fœdere Regis*



gis Christianissimi; rationes pro Francisco-Turcico fœdere quidem allegat, sed ubi easdem refuter, nullibi appare-  
re vult: imo §. IX. promit animo suo conceptam senten-  
tiam, quod licitum sit ejusmodi fœdera pacisci, non quidem, ut si-  
ve fidelibus, sive barbaris in pace agentibus, causâ indictâ, nocea-  
mus, sed ut adversus invasores quoscunq; nostris, alienisq; viribus  
junctim contendamus: ex quibus, uti & sequentibus M. Kip-  
ping: ut forex suo iudicio se prodit; ex contextu enim ad ocu-  
lum pater, quod sub invasoribus quibuscunq; etiam Caro-  
lum. V. Quem §. 18. in fin. hostem irreconciliabilem  
Francisci dixerat; & sub alienis viribus Turcicas intelligat.  
Verum doleandum est maximè, quod talia non tantum à  
Christianismo, sed & Gentilium sanâ Philosophiâ aliena  
scholis nostris obrudi velint publicis scriptis.

§. V.

### Inter Imperantes & subditos mu- tuus debet esse respectus.

Hoc ex princ. hujus L. 4. C. verbis hisce Imperio subje-  
ctos; inclarescit satis, ac ut firmum Politices, ex cujus fonte  
Romani Jcti multum hauserunt, fundamentum præsup-  
ponitur: nec longius hoc ipsum demonstrandum, offert e-  
nim sese in simplicibus societatibus, de quibus Moralium  
Profesores multi sunt, & plurima ab iisdem iterum mutu-  
ati sunt Legum Romanarum Prudentes, cum ipsis esset co-  
gnitissimum, quod herile illud, Patrium & maritale impe-  
ria, cum juris Naturæ jubentis sint, nullâ humanâ refigi pos-  
sint lege: ac ut ut Imperantibus Romanorum svasores fue-  
rint, in illâ tergemina potestate e. g. jus vitæ & necis, abro-  
gandum esse, nunquam tamen illam ipsam abrogandam  
censuerunt: ceterum Logicorum ac Philosophorum erit, de  
fundamentis Relationis inter Imperantes & parentes exactè  
disputare, & certissimè quid statueri ac licet à teneris didi-  
cerim,



cerim, quod relata sese mutuo ponat, ac iterum sese destruant;  
de Majestate tamen Imperantium hoc principium Textibus  
Biblicis & bonis rationibus firmatum mihi fuit, quod P O-  
TESTAS REGUNT IUM, sine concursu omnis hu-  
manæ causæ, à DEO fabricata sit, inque eandem nulli Gen-  
ti, ne dicam de illius singulis capitibus, ullum jus statuendi sit:  
Proverb. VIII. 15. 16. dicitur: Per Me, regnant, & Legum Condi-  
tores justitiam decernunt: Per Me Principes imperant, & potentes  
judicant terram: adde Daniel. II. 37. 44. Dum hoc proferre  
voluptas fuit, incido in Gvilielmi Amesii Tract. de Conscient.  
Lib. V. cap. XXV. fol. 330. qui quidem Quæst. II. & III. De Offi-  
ciis Magistratum & subditorum rectè judicavit: sed, quæ, I.  
Quæst. §. 11. & 111. verba habet, ea sacris Literis aperte con-  
trariantur: Sunt, autem hæc quæ fundit: Est à DEO  
instituta (Potestas Magistratus) in communi, ut scilicet sint Ma-  
gistratus vel publici gubernatores Rom. XIII. quamvis in specie, quo-  
ad hanc, aut illam formam sit creatura humana 1. Petr. II. 13. hinc  
ista potestas non est absoluta, d. duplicem habet limitationem (1) à  
voluntate DEI, cuius est Minister, est omnis Magistratus à DEO. Deut.  
XVII. (2) ab illa voluntate hominum quæ conditionibus aut Legibus  
illis continetur, in quibus Imperii potestas fundatur. Edoctus enim  
sum ab iis, quibus animarum nostrarum cura concredita  
est, quod Majestas æquè à DEO emanet, sicut ab Eodem or-  
dinati sunt Status, Oeconomicus, Politicus & Ecclesiasti-  
cus erique igitur in quacunqve Reipublicæ forma Ma-  
jestas Opus Divinum Immediatum: equevidem transire vel-  
lem cum Amesio, si distingveret inter ipsam Majestatem,  
& hujus causas ministeriales, modosque; conferentes enim  
Magistratum non instituunt, sed tantum summæ Potestatis  
exercitium committunt, Uni, vel pluribus, quod extra rem  
est. Locum illum 1. Petr. II. 13, populo nullam in Reges  
tribuere potestatem Nostrates Theologi probant, quod ibi  
Humana Creatura non significet ordinationem ab homini-  
bus profectam, neque causam efficientem completatur, sed  
subjectum, cui potestas illa inhæreat, & notet personas Ma-  
gistra-



gistratum gerentes, quæ ex humana societate sunt delectæ:  
seu designet materiam in qua sive subjectum illius Potesta-  
tis, nempe humanum genus, in quo Politiam constituit  
Deus: uti graphicè scribit *Job. Wandalin. Theolog. in Regno  
Daniarum Celebratis. Tr. de jure Regio lib. 2. c. 5. f. 164.* Hinc  
*Salmas. Defens. Reg. Pro Carolo I. Rege Britanniarum è tripode cap.  
VII. fol. 124.* habet. At Reges jure Divino constitui, quia per  
Deum regnant, et ejus ope Regnum adipsiuntur, inter omnes  
antiquos, tam profanos, quam Christianos Autores convenit:  
ideo non solum ab illis, à quibus electi sunt, sive Senatu sit, sive  
Exercitus, sive Populus, expelli Regno non posse, sed ne ab universis  
quidem subditis. Vanida ergo Amesii limitatio est, quod Ma-  
gistratum Potestas à Populi dependeat voluntate, cum il-  
li, si totò excutiat, non nisi obsequii gloria exornet, absur-  
dumque forer, populo ad obediendum subjecto Legum fe-  
rendarum potestatem attribuere, quibus Basis Republicæ  
inniteretur: feruntur illæ, non ut earundem latores ea prop-  
ter statim in omni Republica jus Eminentia & Superiorita-  
tis quoddam habeant, sed ut Princeps cognitum habeat sa-  
tis, iisdem, cum Rei P. Statum fundent, destructis, quod sese  
ipsum destructurus foret. Sed quomodo fit, quod ipse Prin-  
ceps hæc fundantes Leges non figat? Didici ex *Reinking.  
de Regim. l. 1. cl. 2. c. 2. n. 109.* quod ad essentiam Majestatis  
non pertineat, Leges concernentes Statum, universum  
Rei P. pro lubitu ferre. Porro non admitto, posse  
subditos, si Princeps in hostem sese converterit, eidem me-  
diis quibusdam repugnare. *Pufendorff. quidem in Element. NB  
jurisprud: Universal. lib. 2. c. fin. §. 22. fol. 379.* hoc asserit  
hisce verbis. Ne quis tamen credat, nos infinitam Principibus  
licentiam dare, ac subditos, velut pecora ipsorum libidini addicere,  
creptâ omni facultate repugnandi, omninò arbitramur, siquidem  
Princeps etiam absolutus hostilem prorsus animum erga subditos in-  
duat, et apertè ipsorum perniciem querat absq; pretextu cause  
saltem speciem justitiæ habentis, rectè posse subditos media, adver-  
sus hostem usurpari solita, in hunc quodq; salutis suæ defendendæ gra-  
tia



ria expedire: idq, quia ipse hoc casu obligationem, qua sibi erant  
devincti, remisisse censetur, cum implicet, aliquem velle simul  
Principem esse, & hostem adversus omnes subditos agere: Sed  
hæc Pufendoriana opinio periculosa est; cum S. S. Biblia  
habeant: Quod Magistratui non sit resistendum, & qui illi resistat,  
Divinae Ordinationi resistet. nec aliter Pufendorff. illam repu-  
gnantiam subditis concedere potest, quam ut eosdem tan-  
dem armis induat, quia indubiè alii sollicitandi modi apud  
Principem nihil efficient: periculosior verò, quod vinculum  
tollat, quo subditi tenentur: & omnium periculosissima,  
quod Principem ab hoste abstrahere velit. Ipse Pufendorff.  
hoc §. 22. dat, quod hujusmodi casus fieri vix possit, & §. 20.  
omnibus libentis concedit, quod hinc loci arbiter Principis  
actionum nemo esse queat, & §. 21. quod difficultas sit,  
quænam actiones Tyrannum faciant, cum illæ à nemine  
hactenus liquidò definitæ sint; eoq; communibus senten-  
tiis itum, quod nec ex privatis vitiis, nec ex negligentiori  
Reipubl. administratione exculpendus sit Tyrannus: ego  
cum *Trajano Boccalini* in der andern Relation aufm Par-  
nasso Them. III. Die Sirkaner schicken eine Botschaft  
zu Apollini, und begehren von ihrer Majestät eine ant-  
wort auf die wichtige Frage: Ob die unterthanen einen  
Tyrannen umbbringen mögen? fol. 9. facio omnimodò:  
Weil die Potentaten Gott/ der alzeit gerecht ist/ zu ei-  
nem Richter haben/ und nicht die Untertanen/ so sol-  
let ihr/ quomodo sterilitatem, aut nimios imbres, & cæ-  
tera naturæ mala, ita luxum vel avaritiam dominantium  
tolerare, Tacit. IV. Histor. Gleich wie ihr Ungewitter  
und fehlsohr/ oder was sonst die Natur für Unglück  
schicket/ leiden/ also auch eurer Herren üppigkeit/ oder  
Geiz ertragen müßet: hæc ille sub involacris jocoseri-  
orum summus Aulicæ Prudentiæ Magister.



## Disquirat de interdictâ ultra certa loca commerciorum communione.

Ut Principii hujus *L. 4. C.* sensus completus sit, ex *S. 1.* assumenda sunt illa prohibita loca, Nisibis, Gallinicus & Artaxata, quas celeberrimas & Mercatum opimitate gratissimas Urbes fuisse, textus indicat: & Gothofred. in Not. Ubi Christiani Imperatores ( scribit enim de Theodosio *Carion in Chronico fol. 229.* *Quod Princeps eruditus fuerit, firmus in doctrina Symbolorum & recte invocans DEUM*) suæ Legislationis terminos excessisse videri poterant, dum contractibus obicem posuere, contra Principium Prudentiæ Romanæ hoc: Civilis Ratio civilia quidem jura corrumpere potest, Naturalia vero non utiqve *S. fin. Instit. de Legit. Agnat. tutela & l. 8. ff. de R. J.* Verum enim audiui ab EXCELLENT. DN. PRÆSIDE, *ad thes. 15. inf. vers. ex ratione naturali Disp. XIX. Schnobeliana;* quod jus Naturale variè sumatur: jam pro dictamine rectæ rationis; jam pro eo, quod illuc reducitur, uti justum, quod caret injustitiâ: jam pro honesto, aut quod eo melius est, ut alere liberos *l. fin. § 5. C. de bonis quæ liberis;* jam pro iis, quæ in jure naturali fundamentum habent, ut succedere liberos suis parentibus: & demum pro iis, quæ actum humanæ voluntatis insequuntur, ut, introducto plenè & posito Dominio, furtum contra jus Naturæ est *arg. l. 5. ff. de J. & J. itemque concessio illo meo tuoque, commercari licet:* ubi cum Majestati determinatio & arbitramentum Divinitus relictum sit. *arg. l. 6. ff. d. t.* dubitandum non est, quin tuto & salvâ conscientia illâ, Vi Domini supereminentis, interdictione ac restrictione rectissimè utatur, ob hæc, ut puto, rationum momenta: licet enim monopola in genere sint prohibita, *l. un. C. de Monopol.* urgente tamen necessitate ac utilitate publicâ, eadem permitti possunt, ne



ruri habitantes oppidanis, & contra, noceant: vidimusque non raro, Edicta Principum, in quibus cavetur, ut frumentum potius oppidanis, quam exteris divendatur: accedit, quod, posita annonæ caritate, aliquis invitus vendere cogatur, licet res aliàs aliter se habeat. *L. nec emere C. de jure delib.* hinc intrepidè statuerem, quod Principes citra jacturam & suspicionem suæ existimationis ipsimet mercaturas exercere possent, si hæ publicam spectent salutem, cui privati facultatibus exhausti exercendæ non essent. *V. Zæf. C. h. t. p. 322. Carpzov. lib. 1. T. 5. Respons. 42.* Non verò interdicta tantum in certis locis mercatura, sed & eidem superadditum, ne pro mercibus, quæ à Barbaris emuntur, aurum præbeatur, sed aliæ solvantur species *l. 2. C. h. t. de Commercio*: ex quo textu politicas rationes subodorari licet, ne Barbari nummos Imperii nostri aureos scrutati, inhiant Imperii divitiis alteri sanguini; vel quod Majestatis sit, de aureâ Monetâ, utpote Regali jure, pro lubitu, etiam quoad exportationem, disponere: vel ne mancipia ex Barbarico allata auro nostro inficiant Rempubl. aut nequiter profugiendo prodant. Tale prohibitorium Statutum Civitatum quoque Anseaticarum esse, testatur *Joh. Marquard. de jure Comm. l. 3. cap. 5. uti habet num. 12. fol. 397.* Nemo Mercatorum ex hisce Civitatibus aurum, argentumve in extera loca pro artificiiis inde conficiendis & absumendis exportabit. *Recess. de Anno 1418. & 1427. sub pœna vitæ & bonorum. Recept. de anno 1417. Festo Pentecostes; hæc Ille.* Dum verò *d. l. 2. C.* additur, quod aurum apud Barbaros inventum, subtili auferendū sit ingenio: *Perez. hîc n. 1. in fin.* quasi animo suo Hispaniarum Monarchiæ gratulatur: dum infit: *Quò sanè magis, quam gravi ullo Marte Hispani nuper ab Indicis populo aurum optimo jure sibi vindicarunt: in medio enim relinquendum est, ac iis qui Arcana Monarchiarum trutinâ conscientiæ examinant, expütandum, quo jure Novum Orbem suo adjecerint, qui adjecerunt; D E U S quidem quoad sui ordinariam potestatem, nec infidelissimis Gentibus, quibus &*  
Dia-



diabolus, muzli puzli, ad instar numinum sunt, ac dirissima  
quævis patrant, sua auferri vult: certè Insulani in Novo Or- <sup>NB.</sup>  
be, aurum, Christianorum DEUM vocarunt, adferam verba  
Calvetonis in Nova Novi Orbis Historiâ l. 2. c. 18 f. 249.  
Sunt præterea etiam Indi, qui immodicam avaritiam  
nostram & furiosam cupiditatem pertasi aureum nu-  
mismata aut bracteas in manus capiant & dicant: EN  
DEUM CHRISTIANORUM, propter hoc è Castella in  
terras nostras venire, propter hoc nos subegerunt, ve-  
xarunt, pro mancipiis vendiderunt, & multa in nos ne-  
fanda ediderunt: propter hoc bella & prælia inter se  
agitant, & alii alios mutuò interimunt, propter hoc  
perpetuò in quieti, aleâ ludunt, blasphemant, divis se  
devovent, litigant, furantur, alii aliorum uxores rapi-  
unt: Deniq; hujus gratia nullum sceleris aut libidinis  
genus prætermittunt. Hæc ille: en, dato uno avaritiæ  
absurdo, infinita fermè sequuntur.

§. VII.

Dubiis quibusdam satisficit.

Num. I. Quæ sit, quod Imperatores Honorius & Theodosius  
Regis Persarum subjectis commercii certis in locis interdixerint?  
Tralaticium enim est, quod iis, quos sub Imperio nostro ha-  
bemus, figamus Leges: extra territorium enim jus dicenti  
impunè non paretur L. fin. D. de Jurisdic. Ubi ex §. 1. d. l. 4. C. re-  
sponderem, quod Persici Cives ad prohibita loca, quæ Ditio-  
nis Imperii Romani fuerant, sese commerciorum causa contu-  
lerint: qui, cum ratione delicti, forum alibi, quàm domi, for-  
titi fuerint, mirum non est, in eosdem Romanæ Majestati  
animadvertendi jus fuisse. Illustrare vellem rem illo the-  
mate juris publici, quod Forenses collectam ordinariam  
solvere teneantur, utpote quæ prædiis & possessionibus, non



personis indicuntur: *Gail. 11. Observ. 52. num. 11. Rosenthal. de Feudis c. 5. Conclus. 80.* imò Qvi nec ab intributionibus extraordinariis immunes sunt, si publica illas imperet Utilitas: Vid. *Wurmser. de jure Publico Exercit. VI. Quest. XI. fol. 253.*

Num. II. *Suntne mercatores Arcanorum Imperiorum & Regnorum capaces?* Noster enim textus apertissimam, & adæquatam rationem habet: ne alieni Regni scrutentur arcana: Biblicum verò est, Consilia DEI propalanda, Principum verò Arcana celanda esse, cum hoc ad Regnantium securitatem spectet; monuit *Livius Crispus Liviam, apud Tacit. 1. Annal. ne arcana Domus, ne consilia amicorum, ministeria militum vulgarentur;* augetqve meum dubium, quod *Honorius & Theodosius, instar unius Monarchæ: U. Arnif. de 7. Mai, l. 1. c. 4. Dn. D. Thabor in Armamentario de Exarmatione c. 2. §. 5. p. 50, rexerint Imperium: quorum arcana non vulgo significanda, ubi vix paucis intimis Principū Ministris patefieri debent: sed responsi hoc repono; prodromi loco distingvens inter Arcana generalia & specialia: sunt enim Arcana quædam vitæ communis, quibus, uti scribit *Clapmar. de Arcan. Rerumpubl. l. 6. c. 17. fol. 321. emergunt multi seq. contra inimicorum injurias muniunt. vid. Martin. Schoockius ad Clapmar. Rubric. de arcanis generalibus L. 2. c. 1. fol. 37. Deinde dico, quod princip. d. l. 4. C. eò collimet, non quod privati cognita à priori habeant Arcana Principatus, cum à Consiliis Consistorii Principis exsint; sed quod e. gr. Persici subditi in Christianorum Rerum Dominorum Anlis, & Celebratissimis Civitatibus hærentes callidè rimentur jam Armamentaria, jam exercitum, an exercitatus sit nec ne? Jam ingenium & mores Principis subditorumqve, an inter se convenient, nec ne? an Princeps susqve deqve odia Civium habeat, modò metnatur: Nec leve duco, quod exteris diu cum Christianis conversantibus, præ primis si sint facundi & cuivis obvii, facile proavità, avità, paternæqve & quæ proprio sudore congestæ sunt, pateant facultates: qui domum reversi incitant Regnantes, ut talem ditissimum populum invadant, persuadentes auri vim argentiq; lucro suo cessuram esse.**

Num. III.



Nam. III. *Competitio merito suo Statibus Imperii Romano-Germanici jus Navigandi, & quid de Civitatibus Municipalibus asserendum?* dubitari fortè poterat, quod Illi sub jurisdictione Cæsaris & Imperii vivant: fixum enim perpetuo hæreat pectoribus, quod quarta hæc nostra Monarchia sit Respublica propriè dicta, & sint, qui turbent fontes juris Publici, noviori Doctrinâ, quasi inter Cæsarem & Status non nisi fœdus quoddam intercedat, ubi Imperatori primæ deberentur partes: quæ opinatio ne inquam in animis discensionum radices agat, optandum serio. Ceterum licet Status Romano-Germanici Imperii sub Cæsare & Imperio sint, habent tamen jus & exercitium Summi post Imperatorem Imperii, eidemque annexorum Regalium: Quam Territorialem Jurisdictionem Principes, & qui horum latitudine veniunt, per Investituras: Civitates verò Imperiales per cooptationem in Ordinem Status, adipiscuntur: jam juxta Textum in Feud. 56. sub infendatione (ac datione) Territoriorum Flumina quoque continentur, quorum usus positus est maximè in navigatione l. i. §. 14. ff. de Flum. §. 4. Inst. de Rerum divis. Qui Status, ut & in maribus Regnorum & Rerum Publicarum internis navigare possint Jure Gentium, nullus mihi hæret scrupulus, ne deterioris essent conditionis præ Civitatibus Municipalibus, quibus, ex traditionibus Doctorum, vi libertatis ex jure Gentium venientis in mari navigare jus est. v. *Stypmann. de iure marit. P. 1. Cap. 9. fol. 169.*

Nam. IV. *Num naufragorum bona ejecta in alienis terris harum Dominis jure ullo acquiri possint?* hanc quæstionem, à scopo non alienam existimo, cum utique fieri potuerit, ut Persicorum bona, tempestate marium obortâ, ejici potuerint in ditione Romanorum Imperatorum. *Bodinus hic 1. de Republ. ex l. 3. Barbarus. D. de Offic. Prætor.* bona illa ad littora alienorum Principum ejecta horum Fiscis addicit; & apud eundem Anna Momorantius hoc juri Gentium transcribere conatus fuit. Quam consuetudinem apud Hispanos, Gallos, Britannosque usu servari, citat testes *Zieritzius ad cap. 219. Criminalis Constitut. Caroli V. f. 214.* Sed illustre & iniquum  
lucrum



lucrum ex re aliena captare velle, juris Gentium Æquitas, Bonitasque non admittit *l. 1. C. de Naufrag.* certè Imperatores Romani de deprædatione naufragorù judicium agitari voluerunt. *l. 9. D. ad L. Rhod. de jactu:* hinc inter capita Legis Rhodiæ, hoc emicuit: *Qui ex naufragiis aliquid rapit, quadruplù restituito* *V. Tom. II. juris GræcoRomani P. XI. §. 48. f. 277.* ac Imperator Fridericus II. antiquatis consuetudinibus, constituit tam navigia ipsa, quàm navigantium bona integra iis, ad quos spectabant, servari debere. *V. Consuetud. Feud. §. 9.* unde in Codicem Justinianum illata est. *Authent. Navigia C. de Furt.* quibus calculum adjecit *Carol. V. in sua Crim. Lege art. 218. §. VIII. & FINAL.*

### Tractat de eo, An Fœdus Civitatum Anseaticarum licitum judicari possit?

Antequam finiam, de hac quæstione breviter tractabo: Civitates scribo Anseaticas, quia plurimæ ad littora marium sitæ sunt: quæquam illis litem non movero, qui Hanseaticas dicunt, quasi *Handels Städte* / vel à verbo Gothico *Hansli* hinc adhuc quibusdã in locis mos loquendi, *dat willen grate Hânse sin.* Item *es sei groß oder klein Hânse*: erant verò Hansli, qui cæteros fortunâ & opibus antecellebant. Cuiusse v. olim Civitates aliquot Germaniæ, tum quæ Imperatori una cù Imperio parebant, tum quæ Principibus quibusdam subditæ erant, quibus & extra Imperium sitæ quædam accesserant, ex Historia temporum satis notum est. Propter illam verò exterarum Civitatum accessionem multis fœdus visum fuit species alicujus conspirationis, cum exteris nec Cæsar, nec alii Principes mandare quid potuerunt: Verùm enim & quoad has Civitates approbatam hanc Confœderationem ostendit *R. U. de A. 1566. §. Die Han- und See Städte:* per quã conjunctionem cum commercia infinities augeantur, non tantù laudabilis sed & summè necessaria erit Confœderatio. vid. *Reink. de Regim. l. 1. cl. 4. c. 20. à n. 50. Wurm. de jure Publ. Exerc. II. Q. 5. p. 344. Carol. vom Hagen in Scholiis ad jurispr. Publ. Braudtlachtii l. 1. c. 4. n. 18. f. 66. §. 123.* Sed hic finis esto: DEO, à quo incipi, devotissimas ago gratias, quod huic opellæ meæ præses ac interesse, & mihi vires suppeditare voluerit. Faxit idem Benignissimum Numen, ne hic labor meus inaniter se habeat.



ULB Halle

3

001 554 379



SB


1011












B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



TAT BENEDI  
 1671  
 16  
 3  
 7  
 14  
 19  
 JURIDICA  
 140  
 CATURÆ  
 merc. & Mercator.  
 TIA ADSISTENTE  
 LISSIMO JCTORUM  
 RIMA ACADEMIA  
 CONCEDENTE  
 IDE  
 IMO, EXCELLENTISSIMO  
 CONSULTISSIMO  
 D. NERGERO,  
 RIÆ ELECTORALIS,  
 JURIDICÆ UT ET JUDI-  
 T IN INFERIORI LUSATIA  
 MO, NEC NON h.t.  
 TABILI  
 ORE ET PRÆCEPTORE  
 IÆ CULTU ÆTATEM  
 NDO.  
 oni subicit  
 Brumbrecht/Hildesienf.  
 SPONDENS  
 O JCTORUM  
 JUNII.  
 CHAELI METERI, 1671.

